



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Maria De Victoria. 7. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

## S. MARIA DE VICTORIA. 7. Octobris.

**I**O! hodie, io! clama, triumphe! quisquis VIRGINI faves VICTRICI. Agebatur annus post VIRGINEM parientem supra millesimum & quingentesimū septuagesimus primus, quando Pius V. Pont. Max. contra Turcarum vim metumque belli societatem cum Hispaniarum Rege & Venerorum Republicâ feliciter iniit. Adornata itaq; classis est, & Joanne Austriō duce hosti plenis velis ac animis obviam est itum. Mox nostris triduo jejunio & Sacramentis Ecclesiæ probe munitis, classicum DEI & MARIÆ nomen cecinere. tunc verò omnibus viribus certatum est, eo ipso tempore, quo, quas Rosarii vocant Sodalitates, de more supplicationes ad castissima VIRGINIS puluinaria per totum orbem instituunt. Nec frustra. Stetit nostrâ ex parte ACIES ORDINATA, & cum hâc nobis etiam venti militarunt. Proinde horarū quatuor nec amplius spatio parta memorabilis ad posteros victoria est. Cesa etenim cum ipso duce suo barbarorum millia triginta, in libertatem Christiani asserti ter mille, quadringenti octoginta & sex. Naves captæ nonaginta supra centum. Octoginta vel flammis vel undis haustæ, fugâ non nisi XX. elapsis. Tormenta in prædam cessere majora sedecim supra centum, minora verò ducenta, quinquaginta & sex. Atque hoc est, quod Opt. Pont. de victoriâ divinitus edoctus triumphū VIRGINI decrevit, quotannis iterandum, quodque non pauci è victore exercitu hostilia spolia ex voto ad Aram Lauretanam suspenderit. Fatale nimirū LVNÆ est ad VIRGINIS pedes abjici. Ex Io. Gab. in vitâ Pii V. & Pet. Spin.

Oportet

Oportet inter fluctus sæculi confugere ad Mariam,  
 & respectu exempli ejus cursum vitæ dirigere : quod  
 qui fecerit, non jactabitur vana gloria vento, nec fran-  
 getur scopulis adversorum, nec absorbebitur voragine  
 voluptatum, sed prosperè ad aeternæ quietis portum ve-  
 niat. S. Epiph. in Panar.

## S. GEROLDUS M. 7. Octobris.

**G**EROLDVS à puero pietatem ducem secutus  
 facile ad ipsa adyta virtutis penetravit, mul-  
 tas tamen identidem pro castitate pugnas pugna-  
 vit, vincendus, nisi aliis armis, quam nunc amat  
 adolescentia, usus fuisset. Nimirum hodie nativâ  
 in galeâ suâ tam molliter cristata frons ictus Cu-  
 pidinis eludet? in thorace tam vulnerato non  
 minus lacer animus tela improba repellet? tot  
 vincula etsi serica, vincula tamen, fugam in hâc  
 luctâ tam laudatam promovebunt scilicet? Aliter  
 GEROLDVS noster pugnavit. Ille fame hostem  
 obsidere, ille animum precibus, pectus cilicio,  
 manum flagello obarmare, toties victor, quoties  
 cæsus, & averfis vulneribus nobilior, quam ad-  
 versis Romanus : quæ ille tunc potissimum non  
 horruit, cum inter pias commentationes cæsum  
 Ducem ob oculos Christum posuit. Has victorias  
 cum per Hispanias & Italias circumtulisset, jam-  
 que Palestinam etiam meditaretur, militem suum  
 Superi ad triumphum evocarunt. Etenim cum  
 pagum Cremonæ vicinum transiret, latrones  
 duo, quò in insidias pertraherent GEROLDVM,  
 litem ex composito adsimularunt. Hic nempe,  
 quò digladiantes dirimeret, illicò accurrit. At illi  
 jam dudum in mortem innocentis amici cadu-  
 ceatorè suum multis plagis confecerunt, interque